

DISSE^{II}
TATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CIRCVMSPECTO
CLYSTERVM
IN MORBIS EXANTHEMATICIS
VSV

QVAM
SVB AVSPICII SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE


D. ANDREA ELIA BUCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XXVI. IANVAR. A. S. R. C¹⁰I¹⁰CCLVII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVELICE DEFENDET
AVCTOR
THEODORVS FRIDERICVS FINGER
COTHENIO-ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.




SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
CAROLO GEORGIO
LEBERECHT,
PRINCIPI ANHALTINO,
DVCI SAXONIAE,
ANGRIAЕ ET GVESTPHALIAE,
COMITI ASCANIAE, DOMINO BERNBVRGI
ET SERVESTAE, RELIQVA,

DOMINO SVO LONGE
CLEMENTISSIMO,

IN
DEVOTISSIMAE SVBIECTISSIMAEQUE
OBSERVANTIAE TESTIMONIVM,
ET
SVI SVARVMQUE RERVM OMNIVM
COMMENDATIONEM,
INTER
SVSCEPTA ATQUE MVLTIPLICATA
PRO
SERENISSIMAE EIVS PERSONAE
SALVTE ATQUE INCOLVMITATE
VOTA,

QVALECVNQUE HOC
SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM
DICAT DEDICATQUE

TANTI PRINCIPIS
SVBIECTISSIMVS OBSEQVIOSISSIMVSQUE
SERVVS
THEODORVS FRIDERICVS FINGER.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CIRCVMSPECTO
CLYSTERVM
IN MORBIS EXANTHEMATICIS
VSV.

PROOEMIVM.



*Quos ab Ibide, aue ciconiae simillima,
primo homines edocti dicuntur *),
Clysteres, antiquissimum medicinae
genus, tam praesenti vi, tamque certa efficacitate*

A 3 in

* Conferatur v. c. Hieron. MERCVRIALIS in *Variar. Lection.*
Libr. II. Cap. XVIII. Daniel VINK in *Amoenitatibus philo-*
logico-medicis, Cap. II. & Ioann. Conrad. BARCHVSEN in
Historia Medicinae, Dialog. VI. vt alios plures omittamus.

in humanum agunt corpus, vt in tot atque tam variis, quibus subinde adfigimur, adfectibus haud promiscui omnino sint usus, vt potius, sicuti in omni medicina, ita praesertim in iis quoque ordinandis, prudentia opus sit medica exquisitaque circumspectio-ne. Atqui hanc cautionem, omni, qua fieri potest, cura adhibendam, ii imprimis sibi exposunt morbi, in quibus alienae, impurae, & sanitati nostrae prorsus inimicæ particulæ, quippe primariae atque effi-caces eius generis malorum causæ, per cutis meatus, tam sensibili, quam inconspicuo modo, expelli atque eliminari debent. Quemadmodum enim clysmatum injectione varia atque multiplicita, quae corpori nostro quomodounque incommodant, recremen-ta per aluinæ educuntur vias: ita facillimum exinde intellectu esse arbitramur, plane incongruum atque intempestivum eorundem fore usum, si, quae infestat humanum corpus, subtilis, acris, atque impura colluvies melius, certius, accommodatiusque per porosam corporis superficiem, quam per alii itinera emoueri eiicique potest. Cuius indolis atque naturæ quum morbi sint exanthematici, ii praecipue, quos acuta exacerbat acuitque malignitas, neminem non intellecturum existimamus, quam prouide atque circumspecte in iisdem clysteres a Medico sint ordinan-di;

di; ne forsan eliminanda aliena atque exanthematica materies in infirmo corpore retineatur potius, quam expellatur, adeoque inopportuna hac et incongrua ratione, vitae loco, mors certissima inferatur. Quod intuentes, quum pro obtinendis summis in salutari arte honoribus solemne specimen edere parabamus, de differendi argumento solliciti, vixi sumus nobis operae facturi pretium, si de circumspecto Clysterum in morbis exanthematicis usu curate commentaremur; quod vulgares atque tantum non quotidianos errores in hac quoque medicinae practicae parte passim obseruabamus. Qua inaugurali commentarye quum partim exanthematicorum affectuum naturas rationesque, partim clysterum in humana corpora efficacitatem agendique modos exponi, partim denique haec inter se conferri, singularesque inde in medicina, praedictis his morbis proponenda, cautiones definiri oporteat: satis exinde trium Capitum, quibus paginas has interpongimus, argumenta constabunt. Quod supereft, neque propitiu[m] DEVM hisce qualibuscunque conatibus nostris, in ipsius honorem, aliorumque hominum emolumenta suscepitis, neque aequos benevolosque lectores defuturos speramus.

CAPUT

C A P V T I.

DE

ADFECTVVM EXANTHEMA-
TICORVM NATVRA ATQVE
CAVSIS.

§. I.



Anteaquam ergo firmis graibusque argumentis planum fieri potest, quanta cautio & quam singularis prudētia in clysteribus, exanthematico cui-dam adfectui opportune proponendis, a Medico, artem suam faciente, sit adhibenda, ad institutum praefens nostrum maxime interesse videtur, ut de ipsa horum morborum notione, indole, effectibusque in humano corpore inde exortis, succincta disputatione differere instituamus: omnia, quae ad rem nostram spectabunt, velut in summam redacturi, ne qualescumque haec paginac academicī speciminiſ formam excedant. Graeco de fonte detortum *exanthematis* est nomen, quod Latini vulgo *efflorescentiae* barbaro exprimunt vocabulo, designaque quamlibet morbosam cutis affectionem, ab internis causis inductam, qua exigua quaedam huius partis spatiola, vel leui tumore, mox consuete, mox inconsuete colorato, vel solis quoque maculis, insolito tantummodo colore conspicuis, a reliqua cute

cute distinguuntur a). Vnde accidit, vt omnes isti adfectus, quos huiusmodi exanthemata cutanea, vel tanquam characteres diagnostici pathognomonicique declarant, vel critica accessione soluant, *morborum exanthematicorum* nomen sint fortiti b). Qui quum vel febrem comitem habere soleant, vel sine hac cutim depravent, a Medicis iam pridem in morbos exanthematicos *acutos & chronicos* vulgariter atque inter omnes notissima distinctione sunt interpuncti.

§. II.

At enim vero omne cuiusuis generis exanthema, aut maculis, aut leuibus exiguisque tumoribus, in exteriori cutis superficie sparsim conspicuis, declarari modo ostendimus (§. I.). Quare nobis, exanthematicorum affectuum origines causasque expedituris, illud operae videtur dari, vt tam de variis diuersisque macularum coloribus, quam de ipsis tumoribus praeternaturalibus exanthematicis eorundemque rationibus proprius dispiciamus, easdemque ad Physiologorum Pathologorumque demonstrationes subtilius exigamus. Quod igitur ad *macularum exanthematicarum* colores distinctos

B atti-

- a) Videantur, quae de his plenissime egit Illustris PRAESES in *Dissert. de incongruo diaphoreticorum vſu, frequenti affectuum exanthematicorum caſa*, Cap. II. & Clarissimus Christ. Bernb. von SANDEN in *Dissert. de Cutis exterioris morbis*, Praefide Io. Henr. SCHULZIO habita.
- b) Videsis *Dissertatt. citat.*

attinet (§. cit.), considerare nos oportet, per principia physiologica atque pathologica ad qualemcumque insolitum colorem in cute ex internis causis efficiendum requiri, vt maior auctiorque sanguinis vel aliorum corporis nostri humorum copia in affectam partem impellatur. Qualis copiosior humorum ad singularem quandam locum deriuatio atque congestio fieri non potest, nisi ipsi canales, quibus haec fluida vehuntur, aut praeter naturam violentius sint dilatati, aut prossus disrupti. Vnde planissima sequitur demonstratione, vt in quoquis exanthematum genere, quod maculosum tantummodo deprehenditur (§. cit.), etiam vascula, vel sanguifera, vel reliqua serosa lymphaticaue, aut solito magis distenta sint atque dilatata, aut plane disrupta atque lacerata c).

§. III.

Atqui vero hatis alia *tumorum* istorum leuisimorum, qui exanthematum classi a Medicis inferruntur (§. I.), origo est statuenda. Quandoquidem per ipsas leges physicæ requiritur, vt in qualibet corporis nostri parte, in qua aliquis tumor conspicuus deprehenditur, vascula ibidem dispersa una cum suis, quos vehunt, humoribus in maius ampliusque diducantur spatiū, quam quod antea ipsis naturaliter erat præfinitum. Huiuscmodi autem status vitalium nostrorum liquorum canalibus accidere

•) Conferantur his disputatis Illustris PRAESIDIS *Dissert. cit.*
§. XXIII. seq.

dere nequit, nisi hi ipsi aut per imminutum debilitatumque, quem insitum habent, elaterem, auctioremque adeo, infracto renisu, allabentis humoris copiam, insigniter dilatentur atque distendantur, aut disrumpantur demum, suumque fluidum in aliena loca, capiendis humoribus neutiquam idonea, effundant. Ex quo porro facili atque aperta conficitur consecutione, ut, quo numerosior vasculorum expansorum aut disruptorum est copia, aut quo violentior & a naturali conditione remotior ipsum fit expansio, eo maiori quoque spatio effectus inde tumor circumscribatur d).

§. IV.

Praeter ea vero multiplex illa coloris diuersitas, quae tam in maculis simplicibus, quam tumidis huius generis efflorescentiis (§. I.) obseruantur, partim naturali humorum in ipsis locis haesitantium colori, partim eidem a deprauata fluidi mixtione mutato debetur. Quod ad prius illud genus spectat, facile est intellectu, pro eo, ut vel sanguis, vel serum, vel lympha, in diductis ipsis aut perruptis vasculis stagnauerit, etiam colorem aut rubicundum, aut subflavum, aut limpidum pellucidumque deprehensum iri. Simulac vero iidem humores, cum propter diurniorem in tubulis suis moram atque stagnationem, tum propter persestam e discissis vasculis in contigua loca effusionem, quam extrausationem Medici vulgo dicunt, tum

B 2

deni-

d) Videſis Differt. cit.

denique propter admixtum alienum & humano-
rum humorum naturae prorsus inimicum miasma,
a naturali sua mixtione atque indole longius desci-
uerint, variis simul coloribus, pallido, flavo, fusco,
lurido, nigro, aliisque inficiuntur, iisdemque orta
hinc exanthemata, tam simplicibus maculis distin-
cta (§. II.), quam in leuissimos tumores elata (§. III.),
tingunt.

§. V.

Qualecunque igitur posterior exanthema, siue
maculosum illud (§. II.), siue subtumidis efflores-
centiis distinctum (§. III.), ut simul vasculorum cu-
taneorum aut dilatationem, aut disruptionem sup-
ponas, per ante disputata (§. cit.) necesse est. Ve-
rum enim vero ex his quoque aperte sequitur, ut,
quaecunque caussa aut expandendis ampliandisque,
aut disrumpendis discindendisque canaliculis cu-
taneis idonea est, eadem quoque corpus humanum ad
suscipienda exanthemata disponat. Tametsi ve-
ro validus atque impetuosus humorum irruentium
in canales, in primis serofos lymphaticosque, quip-
pe minus elaticos e), influxus, siue a vehementio-
ri cordis arteriarumque pressione & contractione,
siue ab aucto ipso, qui fluidis inest humanis, elasti-
co renisu, effectus fuerit, ad dilatanda, quid? quod
demum perrumpenda vasa satis efficax est: atta-
men, quem exanthemata distinctis tantum atque
sepa-

^{a)} Conferatur Georgii Erhardi HAMBERGERI *Physiologia me-
dica*, §. CXIX.

separatis in cute locis sint dissipata atque dispersa, quemadmodum quotidiana declarat experientia, necessario exigitur, vt singularis quaedam accedat ratio, quae in peculiaribus huiusmodi cutis spatio- lis partim efficaciorum fortioremque humorum in canales ibidem fitos impetum efficiat, partim ipsum horum vasculorum cuticularium renisum debilitet atque infringat.

§. VI.

Atqui, si Pathologos consulamus, satis abun-
de edocebimus, ad vtrumque hunc effectum (§. V.)
in singularibus quibusdam vasculis producendum
nihil aequo esse efficacius accommodatusque, quam
ipsam eorundem vasculorum obstruktionem, siue,
si ipsorum canalium conditionem species, ab ul-
tarum extremitatum spastica constrictione ortam,
siue, si ipsorum fluidorum indolem intuaris, vel
ab ipso perlante naturali humore solito magis in-
spissato, vel ab aliena atque heterogenea materie,
mox crassiore atque fixiore, mox vero subtiliore,
agiliore, atque acriore effectam. Obrurato enim
vasculo omnis pone adfluentis liquoris vis atque
impetus, ipsi fluido transmouendo antea destinatus,
paries vasculi ferit, impellit, extenditque, & adeo
fibrarum, ex quibus hoc constat, naturalem in-
fringit renisum: porro quoque in adiacentibus tu-
bulis, obstrueto vasculo contiguis, humores augen-
tur, coguntur atque coaceruantur; vnde fit, vt ipsi
hi canales maiori vi atque efficacitate se contrahe-

B 3

re

re conentur, simulque vehementiori, ac antea, nisi humores in obturatum vasculum impellant atque intrudant. Cui impulsu ferendo atque sustinendo si obstructus tubulus amplius non satis est, discinditur demum, & humores suos coactos in proxima vicinarum partium caua loca effundit f).

§. VII.

Haec ergo singula, quae haetenus a nobis disputata sunt (§. I-VI.), eo spechtant, vt, quae sit proxima & communis omnium cuiusuis generis exanthematum cauſa, a Medico, hisce adfectibus medelam allaturo, tollenda, luculenter intelligere possint lectors. Scilicet vnuſquisque exanthematicus adfectus aut maculis varie coloratis, aut exiguis tumoribus, itidem diuerſo colore tinctis, tanquam signis perpetuis atque pathognomonicis, dignoscitur (§. I.); vterque porro hic status a vasculis suboritur aut maxime diductis atque expansis, aut a nimia dilatatione prorsus discissis (§. II. III.); ad haec vero quaelibet particularis & in circumscripto quodam loco facta canaliculorum humores vehentium dilatatio atque disruptio ab eorundem tubulorum, & quidem, vt per rationes physiologicas pathologicas-

f) Enodati omnia, quae huic perteſſent, explicata videlicis in Hermanni ROERHAAVE *Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis*, & in eiusd. *Commentariis in hos Aphorismos*, Patauii 1728. in octauo editis, itemque in Perillustris Gerardi L. B. van SWIETEN *Commentarii in eosdem Aphorismi*, in singulis libris ad titulos: *Obstructio, Inflammatio, Abscessus, Gangraena, Sphacelus*.

gicasque constat, arteriosorum, obstrukione producitur (§. VI.), tanquam communi & proxima caussa: vnde liquidissima confici oportet consecutione, vt cuiusuis exanthematicae efflorescentiae genuina ratio in extremorum finium arteriosorum cutaneorum obstrukione sit quaerenda. Atqui vero hae, quas diximus, extremitates, quemadmodum Physiologi Anatomicique planius demonstrant, arteriolae sunt cutis serosae atque lymphaticae, sanguiferis proxime connexae: quare qualiumcunque etiam exanthematum sedes ad serosum lymphaticumque vasculorum cutaneorum genus, quomodo cunque obstructum, iure meritoque est referenda g).

§. VIII.

Verum enim vero vel maximam atque singularem meretur etiam attentionem ipsa illius matrariae indoles, quae, ad exilissimos cutis canaliculos delata, vt per patula ibidem oscula exhalet, in itinere hoc suo haesitat, siueque demum, quibus fertur, tubulos obturat. Tametsi enim, si generatim ipsam spectaueris, hoc intuitu semper crassior viscidiorque sit, necesse est, quam vt per ultimos transire emitte possit ductus: pro diuersa tamen ipsius indole varium quoque morborum, quibus iungitur, reddit genium, atque, vt iam supra declarauimus (§. I.), mox acutos, mox chronicos inducit adfectus. Quodsi enim haec arteriolas cutaneas

g) Pluribus luculentioribusque haec demonstravit argumentis Illustris PRAESES in *Dissert. citat.* §. XXII. seq.

taneas obstruens materies lenta fuerit, tenax, spissa, atque fixa, sive per vitiosam diacrisin in ipsis corporis humoribus intrinsecus sit orta, sive aliunde accesserit (§. VI.), exanthemata, quae huic causae suam originem debent, magis chronicci erunt generis (§. I.): contra ea subtilior, volatilior, acriorque colluuius, ab humorum corporis nostri vitalium natura plerumque prorsus aliena, & externa potissimum accessione in ductus sanguiferos inuenita (§. VI.), quam *miasma* Medici vocare solent, grauius vehementiusque vascula irritat atque ad fortiorē systalticā contractionem stimulat, motumque adeo efficit febrilem, ortos inde morbos acuto plerumque typo inuoluentem (§. I.). Cur igitur morbos exanthematicos in acutos atque chronicos Medici distinxerint (§. cit.), vel ex his constare oportet.

§. IX.

Inter exanthematicos *acutioris ingenii* adfētus (§. I–VIII.), febrem, mox intensiorem, mox remissiorem temperatioremque habentes, praecipui, quos Pathologi commemorant, sunt exanthemata purpuracea, scarlatina, vrticata, variolosa, morbillosa, petechialia, petechizantia, pestilentialia quaedam, itemque erysipelacea: e *chronicorum* vero classe (§. citt.) commemorasse sufficiat efflorescentias scabiosas, maculas pustulasque scorbuticas, achores, crustam laetem, tineam, aliasque cutaneas exulcerationes. Quarum singularum adfectionum exanthematicarum pleniorē euolutiōnēm

nem in praesenti sigillatim non suscipiemus: quod huiusmodi accurrior pertraetatio partim ex omnibus, qui de morbis conscripti exstant, commentariis repeti atque defumi potest, partim nostri, quod expediendum promisimus, non adeo interest instituti. Neque ipsas therapeuticas horum morborum rationes, quantum quidem, pro limitato huius commentationis ambitu, ad singulare nostrum argumentum spectabunt, attingemus prius, quam sequenti, ad quod progredimur, Capite de Clysterum in humanum corpus efficacitate agendique modo strictim fuerimus commentati.

C A P V T II.

DE

CLYSTERVM EFFICACIA, AGEN-
DIQVE RATIONE.

§. X.

Quatuor autem hic in primis a nobis expedienda sunt, ut demonstrete euidenterque edocere possimus lectores, quid virtutis utilitatisque a cuiuslibet generis indolisque clysmatum usu in affectionibus exanthematicis iure meritoque exspectari possit debeatque. Primo nimirum, quale remediorum genus sint clysteres, alias quoque *enemata* dicti, paucis explicandum definiendumque est; dein ipsius eius C partis

partis in corpore humano, in quam iniiciuntur clysmata, indoles, aetio naturalis, & quo cum reliquis vicinis partibus coniungitur, nexus, quoad eius per instituti nostri rationem breuissime fieri poterit, considerari debent; tum varium singularis huius formae medicamentofae genus, diuerfamque rationem disputari oportet; quo tandem de huiuscemodi remedii efficacia atque actione generatim iusta atque ad rationis normam exaēta aestimatio statui, singularique tandem morborum exanthematicorum exemplo conferri liceat atque applicari.

§. XI.

Siue vero ex clysteris vel clysmatis, siue ex enematis, utriusque verbi a Graecis ad Romanos transmissi, notione hoc remedii genus aestimauensis, latissimam amplissimamque eius deprehendes significationem, quemlibet liquorem medicatum, in corporis humani qualiacunque caua spatia, tam secundum, quam praeter naturam foras hiantia, vario multiplicique fine infusum, declaraturam b). Sed angustiori inpræsentiarum hanc vocem circumscribimus ambitu, ipsique, quae vulgaris & quotidiana esse solet, notionem subiicimus *clysmatis*, siue, ut barbare saepe dicitur, *lauamenti intestinalis*, hoc est, liquoris varii, ad varios usus præparati, qui per anum intestino iniicitur recto i).

Con-

b) Conferatur Hieron. *Dau. GAVRII Libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum*, §. 295. seq.

i) Videatur *Libellus citat.* §. 506. seq.

Consulto autem varium hunc statuimus liquorem, non simpliciter medicatum; quod, ut statim luculentius declarabitur, non medicandi solum, sed & interdum nutriendi fine, huiusmodi intestinales iectiones apparantur.

§. XII.

Dispiciamus autem porro breuissime, quantum praesentis instituti refert, quae sit *intestini reæti*, quippe primariae partis ad suscipiendos clysteres idoneae atque destinatae (§. XI.), indoles, aetio atque connexio (§. X.). Hoc enim, e crassis intestinis extremum, habet quaedam singularia atque a reliquis huius generis diuersa. Nempe mucularis tunica longe, quam alibi, validioribus constat fibris, tam longitudinalibus, in tres praecipue fasciculos collectis, & reliquarum tunicarum tractu paullo brevioribus, quam transversalibus sine circularibus, summe contractilibus, & circa ani orificium in tumentem annulum coëuntibus, cui *interni sphincteris* nomen esse solet. Sed villosae quoque tunicae sua hic sunt singularia: quippe amplis plurimisque, quae hic deprehenduntur, plicis rugisque multi infunt sinus, sursum caui, infra vero profundiores; in quos innumera hiant oscula, quae ab arteriolis, venulis, glandulisque, cum mucosis, tum sebaceis, vndique hic interiectis, deducuntur. *Externus* denique *sphincter*, totus, quantusquis est, carneus atque muscularis, & cum interno sphinctere lacertulis muscularibus coniunctus, iti-

dem valde irritabilem contrafitelemque habet natūram. Quodsi demum nexus huius intestini cum ceteris visceribus abdominalibus spectes, anterius vnicē peritoneo vincitur, posterius vero firma cellulosa tunica, plurimis glandulis adipeque obsita, ad sacrū os ligatur. Praeter haec tandem innumeris cum vicinis partibus cohaeret vasculis neruisque: his partim praeципue a plexu neruorum mesenterico inferiori, partim a plexu hypogastrico, partim ab offis sacri neruo deductis; illis autem a vasculis potissimum mesentericis inferioribus, nec non sacris, itemque nonnullis iliacorum internorum propaginibus, pudendis nimirum internis & externis, glutaeisque exortis ^{k).} Ex qua singulare huius intestini fabrica intelligi potest, cur illud, praeter naturale eiiciendarum secum aliuinarum negotium, ad varias spasticas constrictiones, mutuumque cum aliquorum viscerum abdominalium diuerſis affectionibus consensum facillime irritetur.

§. XIII.

Huic intestinali tubo (§. XII.), prout diuersum medentis est propositum, variaque morbi exigit ratio indolesque, diuersi quoque generis multiplicisque efficaciae enemata iniiciuntur (§. X.). Commodissime autem in tres potissimum classes singula dispesci possunt, *euacuantum* nempe, *alterantium*, *nutri-*

^{k)} Legi porro de huius intestini fabrica singularique natura meretur Illustris Albertus de HALLER in *Primis lineis Phystiologiae*, §. DCCXXXX. seqq.

nutrientiumque. Ad *euacuantes clysteres* non solum ii referuntur, qui a fecibus recrementisque aluinis corpus purgant, verum etiam qui flatus infartos retentosque ex intestinorum canale expellunt, itemque qui vermes ibidem latentes enecant, forasque proiiciunt. *Alterantium* amplissimum omnino multiplexque genus est: e quibus tamen clysmata temperantia, antispasmodica, anodyna, ruborantia, emollientia atque lubricantia, discutientia, resoluentia, tandemque mundificantia in quotidiano vſu vulgarique sunt frequentatione. Veterum enim & nonnullorum recentiorum Medicorum ordinatos subinde atque commendatos *clysteres* variis generis *specificos*, vt vocant, verbi cauſa, cephalicos, cordiales, pectorales, stomachicos, spleneticos, hepaticos, vterinos, huiusque commatis alias, quorum praescribendorum formulas passim videoas exhiberi, ad praedictas generaliores classes merito referri oportet. Rarius denique *nutrientium enematum* genus est, variis saepenumero dubiis atque obiectionibus attentatum, multiplici tamen plurimorum celeberrimorum Medicorum experientia, ipsis rationis argumentis facillime stabiliena, abunde satis adserum atque confirmatum 1).

§. XIV.

Supereft autem, vt, quaenam in singulis mo-
do
C 3

1) Clariorem adhuc lucem his disputatis adserre possunt,
quae de eadem materie exposuit Celeberrimus GAYBIVS
libr. Et loco citat.

do definitis clysmatum intestinalium generibus (§. XIII.) tam circumscriptae atque determinatae actionis efficacitatisque sint rationes, succincta adhuc persequamur expositione (§. X.). Primo itaque *euacuanta enemata* intuentes (§. XIII.), nequam veremur, quin omnem ipsorum vim atque efficaciam ad fibrarum contraëtilium, quae in intestino recto & adfine colo reperiuntur, irritationem inde effectam deferamus. At enim vero quum contraëtilis irritabilisque natura tunicae in primis intestinalorum musculosae, ut ante exposuimus (§. XII.), insita obseruetur, patet hinc, ab hoc clysterum genere muscularum praecipue recti intestini portionem irritatum iri. Sed irritationis huius purgatoriae, ut ita loqui licet, triplex denuo statuendus est modus: quorum quilibet tamen a principiis cuiusdam salini, siue acidi, siue alcalini, siue neutrius fuerit generis, irritante virtute est deducendus. Immisso enim in anum huiuscmodi virium clystere, aut intestini recti & ut mirificus hic est consensus, ceterorum intestinalium alterius motus, (peristalticum antiperistalticumque Physiologi vocant,) auctior redditur incitatorque; quo facto eadem hac mutua fibrarum longitudinalium circulariumque musculosarum (§. cit.) agitatione interiectae arteriolae glandulaeque continuo efficacissime comprimuntur & quasi emulgentur, ut hinc maior liquorum mucosorum atque pituitosorum copia in intestinalem tubum depluat, quam venulae resorbentes suscipere atque resumere possunt: aut tenuio-

nuiores liquoris clysmatici iniecti particulae ipsa bibula vascorum lacteorum *m*), venularumque praediatarum resorbentium oscula subeunt, eademque demum, partim quod ipsae chylo seroque crassiores tenacioresque sunt, partim ob effectam ab irritatione horum tubulorum contractionem, leui-
ter & ad tempus obſtruunt, atque hac ipsa ratione humorum, ex arteriolarum ductuumque glandulo-
ſarum finibus adſuorum, copiam tantum augent
atque accumulant, vt ad eosdem promptius oxy-
que, ac alias fieri ſoleat, eliminandos intestina inci-
tentur: aut denique vtraque efficacitas, tam canali-
culorum, mucoſam lubricantemque colluuiem in-
testinalem fecerentium, auſtior vehementiorque
irritatio, quam leuis atque temporaria vasorum re-
ducentium conſtrictio atque obſtructio, ab uno eo-
demque ſimil exferitur clyſte *n*).

§. XV.

Ex his enematum euacuantium agendi rationi-
bus (§. XIV.) magna ex parte eae quoque intelligi
poſſunt, ad quas tam *alterantia*, quam *nutrientia*
clyſmata in humanum corpus efficaces intendunt
vires (§. XIII.). Tametsi enim longior, quam pre-
ſentium paginarum ambitus permittit, foret dispu-
tatio,

- m)* Evidem haud ignoramus, horum vascorum in intesti-
nis crassis praefentiam quosdam inficiari: verum, si ea-
dem a WINSLOVIO & HALLERO apertissime demonstrata
dixerimus, neminem porro contrarieſentiae adſenſu-
rum arbitramur.

tatio, si alterantium intuentes classem, tot tamque multiplicitia, quot in usum subinde vocantur, ipsorum genera singulatim expositione perseguiri suscipiemus: breui tamen verborum compendio omnium singulorumque eorundem actiones dupli tantummodo generali ratione effici absolue videuntur. Nempe alia huiusmodi clysmatum iniectionrum portio ipsas musculosas intestini fibras adficit, easdemque, prout cuiusuis infusi liquoris singulatis atque definita est virtus efficacitasque, aut irritat, contrahit, roborat, & adstringit, aut e contrario emollit, relaxat, atque a naturali paullulum deiecit elatere. Alia vero alterantium enematum pars ipsis vasculorum resorbentium ductibus se insinuat, &, inde in vniuersam corporis compaginem delata, pro varia cuiusuis liquoris per anum iniectioni natura atque virtute, partim ipsas interiores vasculorum sanguiferorum ceterorumque tunicas adficit, partim ipsam humorum vitalium copiam, indolem, mixtionemque, atque adeo & ipsum eorundem diuersum erga canales suos renisum immutat. Quarum virium amplissima diuersitas, a tot tamque variis medicamentorum generibus exspectanda, luculentius exponit atque ad rationes exigit Therapia generalis. Atqui posteriorem hunc agendi modum adscribi quoque oportet tertio clysterum generi, nempe *nutrienti* (§. XII.): ex quo in intestina iniectione

n) Longe enodatus eadem haec disputauit Illustris PRAESES in *Dissert. de intempestivo purgantium usu, frequenti adfectuum haemorrhoidalium causa, §. X. seqq.*

ſto gelatinosae atque nutritiae particulae, patulis
inferioris tubi intestinalis osculis resorbentibus, vas-
culisque lacteis haustae, ad qualemque vitalis
laticis iacturam restituendam cum sanguine intime
miscentur o).

C A P V T III.

C I R C U M S P E C T U M C L Y S T E R V M I N M O R B I S E X A N T H E M A T I C I S V S V M E X P O N E N S .

§. XVI.



Euolutis nunc cum morborum exan-
thematicorum natura causisque (§. I-
IX.), tum varia clysterum intestina-
lium indole agendique rationibus
(§. X-XV.), superest, vt primariae in-
stituti nostri parti, cuius cauſa omnia haec haſte-
nus diſputauimus, ſatisfiat, praecipuaque expli-
centur cauſiones, quas Medicum prouidum cir-
cumſpectumque in clysterum vſu, medicandis ad-
fectionibus exanthematicis applicando, obſeruare
oportet. Atque hic noſtra plurimum intereſt, vt
ante D

o) Videſis quoque de hoc clysterum genere Illuſtris Danielis
Wilhelmi TRILLERI Programma, de Clyſterum nutri-
tium antiquitate & vſu, Witteb. 1750.

ante omnia ad principem & velut communem attendamus indicationem, quae Therapeutis dicitur, in qua omnis fere quorumuis exanthematum curationis cardo versatur. Haec enim, cotis quasi vice functura, optime luculentissimeque de omnibus constituet regulis cautionibusque, quae in singulis exanthematicae classis affectibus, & in qualicunque eorundem statu (§. IX.), singulorum supra expositi diuersi generis clysterum (§. XIII.) usum aut redarguent prohibebuntque, aut efficacissime commendabunt, aut saltem certis limitibus circumscribent.

§. XVII.

Recordaturis autem supra disputata lectoribus obscurum esse nequit, omnium, quotquot existant, exanthematum summam atque communem caussam in vasculorum cutis serorum lymphaticorumque obstructione quomodounque facta esse querendam (§. VII.), eandemque exilissimorum horum tubulorum obturationem, pro varia haesitantis obstruentisque materiae natura atque constitutione, mox chronici inter morbos esse ingenii, mox acuti (§. VIII.). Ergo, ut partim minima haeca vascula, si solummodo ab infixa atque stagnante materia nimium fuerint expansa atque dilatata (§. II. seq.), reserantur denuo, atque excusso aut dissoluto obturamento pristinam contractilem vim recuperent & naturale robur, partim, si iam ex iisdem caussis discissa fuerint (§. cit.), ab effuso in aliena loca

loca tenaci, lento, purulentamque indolem contra-
eturo humore purgentur iterum, & nouo eoque
salubri perpetuo adfluentis laticis velut linimento
demulceantur atque abstergantur, adeoque vulneri
coalescendi locus detur, plurimi omnino, immo
maxime refert, vt per omnes cutaneae texturae ca-
naliculos, porosque, quos vulgo dicunt, emunctorios,
qui ab obstruktione exanthematica liberi at-
que integri supersunt, transpirabilis tenuissimi li-
quoris expeditissimum sit iter, liberrimusque adflu-
xus & transmissus. Quo consilio omnes prudentis
perspicacisque iudicij Medici in eo praecipuam po-
suerunt curam, sibique hanc constituerunt primaria-
mam &, vt ita loquar, vniuersalem indicationem, vt
in singulis cuiuslibet generis naturaeque efflores-
centiis exanthematicis, siue istae acutae fuerint, siue
chronicae, quantum efficere possent, iustum, con-
gruam, sufficientemque cum naturalis liquoris per-
spirabilis, tum, sicub[us] adfuerit, miasmatis hetero-
genei (§. VIII.), per cutis emunctoria euacuationem
integralm inuiolatamque conseruarent.

§. XVIII.

Atque hanc diapnoes integrae conseruandae
curam (§. XVII.), in exanthematum medicationibus,
cuius salutarem artem facient merito esse oportet
commendatissimam, vel ipsa, optima genuinae
medicinae praeceptrix, iubet natura. Quando
enim exanthematicos affectus, acuta periodo dis-
tinctos,

D 2

tinctorios,

tinctos, spectaueris (§. IX.), neminem, nisi ipsorum elementorum pathologicorum therapeutico-rumque ignarissimum, nescire decet, quod hi ipsi, quos praediximus, morbi, cum, nisi pessimi & illae-tabilis fuerint genii, propter auctiores motus ad corporis superficiem directos, generatim largiori vapore perspirabili aegrotantis corpus humectent, tum plerumque satis profusis, & haud raro ipsum singulare miasma exanthematicum olentibus fido-ribus, in criticas desinant solutiones. Neque vero huiusmodi conspicuas, & tantum non semper copio-fas diaphoreses a chronicis exanthematibus (§. cit.) abesse, quin potius iisdem tollendis, aut saltem leuandis imminuendisque maxime inseruire, omni-um Medicorum, accurata attentione morborum phaenomenia persecutorum, obseruationibus con-stat.

§. XIX.

Verum enim vero iam vetus est experientiae testimonium, quo edocti sunt Medici, maximum omnium corporis nostri excretionum naturalium esse consensum, imminuique alteram, dum inten-ditur altera atque augetur. Nec alia perspiratio-nis Sanctoriana & diaphoreticæ excretionis est ra-tio. Experimentorum haec demonstrantium liceat attingere pauca quaedam, quae ab instituto nostro non absunt. SANCTORIVS, famigeratissimus ille excretionis cutaneae obseruator, generatim ab ex-peri-

perimentis, quae suscepit, hoc deduxit effatum: Perspirabilis liquoris ad alia loca diuersione atque deriuatione impediri perspirationem. Quam sententiam deinde amplius, staterae suae adminiculo, singularibus adseruit exemplis fluxus aluini, tam sua sponte contingentis, quam per medicamenta euacuantia excitati: vt pote a quo corpus minus perspirare deprehensum est p). Ab anodynis narcoticisque remediis eandem in perspirationis negotium redundare efficacitatem, amici cuiusdam, statu huiusmodi disquisitionibus quondam vacantis, experimentis edoceti nouimus: vt plura silentio praetereramus.

§. XX.

Ex his itaque (§. XVII-XIX.), si efficaces enematum intestinalium vires (§. XIII. sqq.) cum iis conferamus excretionibus, quas in exanthematicis affectionibus praesertim, non tamen sine prudenti atque moderato modo, generatim moliri Medicum decet (§. XVII. XVIII.), facillime intelligi potest, neque singula clysterum genera (§. XIII.) praedictis morbis esse conuenientia, neque eadem, si forsan tempestiu sub vsu fuerint haud inopportuna, cuilibet earundem harum affectionum statui esse idonea.

D 3

Quod

p) Videatur ipse in *Medicina sua statica* passim: quo cum consentiunt DODARTIVS, MORINVS, GORTERVVSQUE; licet REILIVS contrariam tueri sententiam videatur in *Medicina statica Britannica*.

Quod enim ad primum clysterum genus (§. *citat.*) attinet, euacuantem huiusmodi medicinam, in genere sumtam, vix, ac ne vix quidem, in exanthematicis methodo locum habere, nisi admodum definita adhibeantur ratione, vel ideo patet, quod alias primariae medentis in huiuscmodi morbis indicationi clysteres officerent, saluberrimaque imminuerent, immo supprimerent transpirationem (§. XVIII. XIX.). Ex alterantium enematum ordine easdem ob causas parum profutura essent ea (§. XIII. XV.), quae itidem aut nimium stimulando, humoresque perspirabiles a corporis superficie deriuando, aut vitales fluidorum motus nimis retardando inhibendoque agunt. Cuiusmodi remediorum specialior doctrina generali debetur Therapiae. Innoxium denique tertium nutrientium clysterum est genus (§. *cit.*): quippe quod nihil, quod insensibilem interrumpat transpirationem, in se comprehendit.

§. XXI.

Permagni autem refert quoque, ut Medicus, haud temere atque inconsiderate clysterum in morbis exanthematicis usum ordinaturus, ipsos hosce adfectus, eorundemque originem, tempora, universamque complectetur conditionem (§. XX.). Quippe clysmatum intestinalium infusionem haud aequa laetabili successu, promiscuoque usu, morbi ferunt exanthematici, qui *acutam* formant *periodum*,

dum, ac isti solent, qui chronicō succedunt tractu, & a lenta vīscidaque humorū vitalium cacochy-
mia ortū suū ducunt (§. VIII.). Quod vt lux-
cūlentius perspiciatur, plerasque vtriusque huius
generis exanthematicas adfectiones, eo, quo ene-
matum, praecipue euacuantum iniectione aut in
peiorē, aut in meliorem mutantur statum, intuitu
singulatim breuissima persequemur disputatione,
praecipuas, quae rectum legitimumque huiusmodi
remediorū vīsum definiunt, cautions regulasque
præticas succinēte tracturi.

§. XXII.

In acutioris ingenii exanthematibus, cum ma-
ligna febre plerumque complicatis (§. IX.), pro-
pter miasmata varii generis subtilissima, volatilia
atque halitosa (§. VIII.), vniuersam sanguineam
massam corrumpentia atque dissoluentia, & extre-
mos in primis cutanearum arteriolarum fines irri-
tantia, vel lenissima alui a clysteribus iniectionis irri-
tatio periculo non vacat. Quippe in incremento
præsertim statuque, quem Medici vocare solent,
horum affectionum, metum omnino esse oportet,
ne, irritata alio, inducta que inde spasmatica ex-
ternae corporis superficie constrictione, exanthe-
mata vel exitu arceantur, vel, vbi iam prodierint,
infausta retrocessione mortem minentur. In de-
cremento autem praeditorum affectionum, impe-
tuque febrili symptomatico paene superato, tan-
tum

tum abest, vt clysterum vhus sit omittendus, vt potius esse debeat commendatissimus; dum a collecta cruda atque impura colluuiie intestina eluunt atque purgant, & formidandis saepenumero prae-gressi morbi reliquiis, ipsa matre plerumque peioribus, radices praecidunt. Quam circumspetam medendi methodum obseruare fas est non in omnibus solum exanthematibus acutis maculosis, verbi gratia, purpura scarlatina, morbillis, petechiis, & ceteris (§. II. IX.), sed in iis quoque ante omnia, quae in tumores & exilissima vlcuscula soluuntur (§. III. IX.). Quo nomine vel solas citasse sufficiat variolas, quae summo cum vitae discrimine & eruptionis & suppurationis tempore aluinam a clysmatibus qualenctinque irritationem perferunt, postea vero vel ipsas huiusmodi, aut alias intestinorum purgationes requirunt.

§. XXIII.

Chronicorum denique *exanthematum* classis (§. VIII. IX.) quum fixioris sit indolis, quam prius illud acutum genus (§. XXII.), suumque orcum tenacibus atque spissis corporis nostri humoribus, vitiosa diathesi corruptis atque inquinatis, debeat, & magis magisque a perpetua, vt in his morbis esse solet, mala crudaque ventriculi digestione amplius confirmetur (§. VIII.), blandam repetitamque aluinatarum cruditatum euacuationem non solum perfert commodissime, sed exigit postulatque pror.

prorsus. Quocirca nemo Medicorum iure meritoque committi in artis sua exercitio erroris poterit accusari, qui hisce in adfectibus euacuantes quoque clysteres in usum trahit. Qui eo salubriorem exoptatioremque habebunt effectum, si forte ab eiusmodi chronico exanthemate, quomodo docunque retropulso, grauissimi acerbissimique dolores aluii colici spasmadicie fuerint exorti. Verum enim vero & hic modus habendus est, cautioque accurate obseruanda, ne clysteres, his in lenitoribus morbis exanthematicis adhibendi, partim frequentius, quam par est, aegrotis ordinentur, partim nimis acribus, irritantibus, catharticisque materiis, verbi causa, aloeticis, ialapinis, mercurialibus, &c. acuantur. Exinde enim iusto magis humores depravati versus interiores diriguntur partes, molestiorque eorundem eliminatio per cutis emunctoria redditur. Neque ad haec infantes, achoribus crustaeque lacteae in primis obnoxii, frequentem eiusmodi acrium stimulantiumque clysterum usum sive noxa essent suscepturi: vtpote quibus leniora laxantia interna, mercurio dulci nupta, longe melius conuenientiusque conducunt.

§. XXIV.

Plura adhuc summe singularia huius generis specimina, vnde clysterum in morbis exanthematicis usum maxime circumspectum esse oportere porro cognosci posset, de industria impraesentiarum

E

rum

rum non attingimus, quippe circumscriptam suis limitibus dissertationem academicam, non iustum amplumque commentationum medicarum volumen meditati. Iis interim, qui, praeter hic exposita generalia exempla, specialiora desiderant, suademus, ut varias, quae conscriptae editaeque exstant, melioris notae obseruationes & curationes medicas euoluant, enotentque sibi, quae de diuerso enematum intestinalium in enumeratis haec tenus morbis visu obseruata passim ibidem deprehendent. Varius enim ille multiplexque morborum malignorum exanthematicorum, praecipue graffantium, genius, qui vel ipsis saepenumero perspicacissimis & in artis exercitio versatissimis Medicis imponit, mox respuit clysteres, mox postulauit. Haec ergo ab experientia discant lectors.

S. D. G.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

AMICO SVO SVAVISSIMO


S. P. D.

NICOLAVS THEVNE,
 FRISO-ORIENTALIS,
 MEDICINAE CVLTOR OPPONENS.

Nonne actum agerem, VIR PRAENOBILISSIME,
 si virtutibus TVIS nec non singularibus in
 arte salutari profectibus recensendis immora-
 rer: cum, missis aliis meritis TVIS, tot tantaque dili-
 gentiae ac eruditionis TVAE specimina, in visendis & fa-
 nandis aegris, edidisti? Proposito igitur meo satisfaet-
 turus, TIBI, AMICE SVAVISSIME, summos diuque prome-
 ritos honores in arte nostra salutari, quos defensa Dis-
 sertatione TVA inaugurali, de Clysterum, in morbis exan-
 thematicis, prouido vfu, consecuturus es, ex intimo animi
 affectu gratulor, simulque opto, vt omnia coepta TIBI
 ex voto cadant. De reliquo vti bacenus confueisti, ita
 vt in posterum quoque amore TWO ultius me prosequaris,
 TE etiam atque etiam rogo. Vale. Dabam Halae Magde-
 burgicae d. XX. Ianuar. MDCCCLVII.

E 2

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
COGNATO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

CAROLVS AVGVSTVS MADAI,
HALENSIS,
MEDIC. CVLT. OPPONENS.

Quam sit nullus mortalium conatus, nulla diligen-
tia, nullumque indefessum studium, quod non
quodam interiecto spatio iustissimum consequa-
tur praemium, nullusque musarum amicus, qui non pro-
tantis molestis, grauiissimisque laboribus, quos per omne
id tempus, exantlauit, quo scientiis incubuit, gau-
dio hilarique praeteritorum annorum recordatione cumu-
letur, bic ipse dies fidem facit, COGNATE AESTVMA-
TISSIME. Vix enim TV, Aesculapii artem amplexus, dif-
ficiiora huius scientiae atque grauissima superasti, vix
per vias tam iniucundas, arduas ac asperas ad amoenior-
em suauoremque peruenisti, cum iam Minerua diligen-
tiae praemium porrigit, & munere & dignitate TE exor-
net. Huncce diem an silentio transigerem? an TE ad
summum salutaris artis gradum ascendentem sine laeto &
grato animi sensu conspicerem? sane id nostra amicitia,
nostra affinitas, immo & ipsa humanitas haud permittit.
Tantum

Tantum itaque abest, ut otiosus & silens hunc actum ad-spiciam laetitiamque inde exortam suppressimere possem, ut potius frena laxem & faustis acclamationibus hilarique votorum meorum cum aliorum votis concentu TE prosequar. Gaudeo itaque, AMICE SVAVISSIME, diem nunc illuxisse, quo Apollinis laurea decoratus abire possis. Ut supremum Numen bonis suis TE cumulet, vitae dies prolonget, suum auxilium & praesidium in omnibus TVIS conatibus suppeditet, ac TE honoribus ornatum beneque valentem ad canitatem perducat, id est, quod opto & habeo sunt vota amici in TE sincerissimi. Pergas, velim, CARISSIME, me vti coepisti amare, digneris me quovis tempore amicitia TVA, quae nunquam non summo in pretio mibi erit. Vale nibilque faue. Dabam Halae Magdeburgicae d. XX. Ianuar. MDCCLVII.




G Im Arm der reinsten Zärtlichkeiten
Im Schoos der Liebe und der Ruh,
Verfließe Dir die Reihe goldner Zeiten,
Und jeder Tag sey angenehm wie Du.
Der Himmel sey in Deinem Busen,
Genieße jeden Augenblick,
Dein Geist verdient den höchsten Krantz der Musen,
Dein Herz der Menschen bestes Glück.

Aug. Gottlieb Ludewig Hering.

E 3

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.
 FRIDERICVS AVGVSTVS ALBERTI,
 MEDICINAE CVLTOR.

Affulsit fausta lux, qua in te, amicorum optime,
 collata video praemia eruditio[n]is, labore, affi-
 ditate, experientia comparatae. Nemini
 dubium erit, qui nouit ingenium TVVM doct[ri]namque
 longo v[er]su TIBI acquisitam, quive virium TVARVM ex-
 perientiam fecit, quin dudum hanc merueris dignitatem,
 diligentiae ornamentum, futurae felicitatis omen. Cum
 multis iam abhinc annis aegris opem ferre aliquae omnia
 Medici officia implere assuetus sis, baud peregrinum TIBI
 est hoc auspicare vitae genus; hinc non speramus, sed
 certis innixi indiciis prouidemus, TE muneri TYO cum
 laude praefuturum, ordinemque medicum ornaturum.
 Age igitur, capesse munus delatum, lege fructus sedulitatis
 TVAE, & fruere mercede quae larga temet videtur
 expectare; TVA prosperitas & meae pars erit. Ex quo
 enim mibi contigit familiaritate TVA vti, integritate
 animi morumque probitate, quam subinde magis cognoui,
 adeo me TIBI deuinctum habui[sti], vt tecum gaudendi
 quamuis occasionem aude arripuerim. Quae si TIBI gra-
 ta fuerit animi mei dispositio, TVVM erga me amorem ul-
 terius continuare velis. Vale & faue.

Bey

Bey diesem Lorbeer, theurer Finger!
 Der heute Deine Schläfe ehr,
 Empfind ich Deinen ganzen Werth,
 Und finde jeden Wunsch geringer;
 Ich will die Vorsicht nicht ermüden,
 Sie kennt und sie belohnt Dich schon.
 Sie hat der Tugend Glück beschieden
 Und Finger ist der Tugend Sohn.

Carl Franz Knorre.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

FRATRI SVO AMANTISSIMO

S. P. D.

CHRISTIAN. CONSTANTIN. FINGER,
 COTHENIO—ANHALTINVS.

Tandem hic ipse dies illucefit, quo diligentiae TVAE
 ac eruditio*nis* praemia, summos in arte salutari
 honores, accipis. Laeto & grato animi sensu TE
 ad hunc gradum ascendentem conspicio, nostraque dilec-
 tio, nostra affinitas & familiaritas non permittit silen-
 tio

* * *

tio huncce diem transire. Gratulor itaque aperto pectore, sincerimoque animo, de honoribus illis, qui te expectant; accipe laboris praemium, coronam doctoralem, ea que ad canos usque annos tali fruere felicitate in praxi, quali hic usus fuisti in addiscenda arte. Semper benignissimus tibi adsit Deus, Tuis conaminibus omnimode benedicat, omnesque aegrorum curationes iubeat esse saustas felicesque. I, quoquo gentium velis, & ubique monstra, te audiuisse viros, quorum consuetudo est, diligenter non nisi doctos dimittere. Vbicunque vero sis, ne obliuiscaris, te reliquise Fratrem, qui totum sese tibi consecrat. Vale, & ad cineres usque me ama. Dabam Haleae Magdeburgiae, d. XX. Ianuarii

MDCCCLVII.

DOMINO DOCTORANDO
PAROLOGIS ADOCESTISSIMO



01 A 6543



56.

V018RAA12

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13



TATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CIRCVMSPECTO
LYSTERVM
SIS EXANTHEMATICIS
VSV

QVAM
AVSPICII SVMMI NVMINIS
ET
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E

REA ELIA BVCHNERO

RI ROMANI IMPERII NOBILI,
O PRUSSIAE REGI A CONSIGLIIS INTIMIS,
LOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

GRADV DOCTORIS
MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
TORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

XXVI. IANVAR. A. S. R. CICCI

IA REGIA FRIDERICIANA

PVELICE DEFENDET

AVCTOR

RVS FRIDERICVS FINGER
COTHENIO - ANHALTINVS.

MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.